Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 137
Quelle:
Copyright:

moriam consulerem repente somnus obrepsit &c. Adstant dormienti *Cicero*, *Seneca*, aliique sacri et profani Morum Doctores, e quorum effatis vigil praesens Opusculum contexit. Sub *Praef.* finem virum illum, quem adloquitur, laudat, *quia nec vehemens tumultus huius perniciosissime sedicionis honestatis tibi curam excutit.* Titulus I. inscribitur: *De triplici capiendi consilij deliberacione*, et incipit: *Triplex est capiendi consilij deliberacio.* &c. II. *De honesto et eius partibus.* III. *De prudencia.* IV. *De iusticia* &c. In margine Autorum, quorum usus est, citantur nomina, quos inter *Salustius*, *Salomo*, *Boecius*, *Juuenalis*, *Terencius* &c. Finis: *sed rei magnitudo usum quoque et exercitacionem desiderat. Explicit.*

VI. *fol.* 96. Excerpta e *Cicerone de Amicitia*, *de Senectute*, *de Officiis*, *Precepta Pittagore*, *de Dictis Boecij*, *Dicta diuersorum Philosophorum*, *Auctoritates beati Jeronimi* sane multae, *Sentencie siue auctoritates beati ysidori*, et alia leviora, inter quae *Confessio et quasi ad deum oratio*, et alia quaedam Oratio *de Cruce*, quam *Karolo magno* a *Leone Papa* missam adfirmat Librarius.

VII. *fol.* 125. p. 2. *Johannis* cujusdam Tractatus asceticus de Profectu Spiritus, ejusque adminiculis, qui infit: *Gratissimo mihi in christo Symoni nepoti meo. frater Johannes seruus inutilis solo nomine et habitu religiosus salutem et de bono semper in melius proficere. Magnam mihi leticiam tue dilectionis ingessit epistola que te virtutum et eterne vite desiderium habere designavit* &c. Tractationis initium: *Sicut immensa gloria fideliter in religione seruientibus* &c. Finis: *sed amico petenti satisfacere uolui. Vale in deo salutari nostro.*